

dam coëmerunt, & Monasterium hoc, cum—
Templo ad quod primum Augustus Romano-
rum Rex Josephus I. lapidem contulit, ædificâ-
runt.

In Widen RR. PP. Ord. Minorum D. Fran-
cisci de Paula Templum cum Monasterio ele-
gante retinent, hi à Friderico Rom. Imp. in
Germaniam vocati, & in Superiore Austria in
varia Cœnobia primum divisi sunt, verùm ubi
ingruente hæresi Monasteria eorum dirueren-
tur, & centeni propè eorundem Patrum occi-
derentur, iis anno 1624. à Ferdinando II. Rom.
Imp. hoc in loco Monasterium ædificandi con-
cessa potestas fuit, ad quod magnum subsidium
contulit ipse Augustissimus ille Imperator, qui
etiam anno 1630. fundamentalem lapidem ter-
ræ mandavit.

In Via Regia RR. PP. ex Ord. D. Augusti-
ni Eremitarum pretiosum Templum est, & Mo-
nasterium, quod anno 1642. à Ferdinando III.
in honorem SS. Sebastiani & Rochi ædificari
cœptum est. Templum hoc anno 1656. in ci-
neres redactum longè splendidius post ultimam
Viennensem obsidionem est erectum.

Claudit Templorum suburbanorum ag-
men tempellum quoddam minus, quod in—
Aluatariorum platea extra Stubensem anno
1673. in honorem S. Margarethæ à loci illius
communitate est erectum. Hæc solidæ sunt
pietatis Monumenta, quibus Urbs nostra quasi
in monte, & super Candelabrum posita lucet
omnibus, impiis quidem ad invidiam, probis
ad ædificationem, Orbi in gloriam Univerſo;
Hæc inquam sunt Austriacæ Domûs, & ipsius
Urbs nostræ fulcra, & Columnæ, quibus suf-
fulta videntur tam firmiter, ut nullo contrario
impetu, nullis ventorum turbinibus, nullis
terrarum quantumvis tremendis concussioni-
bus loco moveri, aut vel minimam gloriæ suæ
jacturam amittere possint, aut posse videantur.
Hæc tandem sunt permanfuræ felicitatis certifi-
sima argumenta, quibus deinceps in futura—
tempora magis, ac magis felicitate floreat, cœ-
que suum protendat Imperium Austria, ut de
illa, quod sæpius vaticino fuit prolatum spiritu,
certo prædici queat: *Austria erit in orbe ul-
tima.*

TITULUS IV.

Magnifica Palatia, Diversoria publica, & Apotheca.

NON vanè scriptores extollunt Romam
veterem, eamque à suis tam splendore,
quàm magnificentia insignibus laudant
ædificiis, tot Cæsarum jactant amphitheatra,
tor auro, cedroque laqueata commendant pala-
tia, ut vel ex iis Romam Urbium fuisse Princi-
pem non immeritò fatearis, neque nos Urbi
illi, quem habuit, & etiamnum possidet splen-
dorem. invidemus, neque nostram præferre illi
mens est, illud tamen non sine veritate profite-
mur Viennam decore suo, & ædificiorum mole,
ac venustate nobilissimis etiam orbis civitatibus
posse comparari: tot enim in ea superbæ sump-
tibus moles, tot vasta & immensis opibus ex-
structa atria, tot propè quot domus, palatia nu-
merantur, ut inter venustissimas, & populosissi-
mas Urbes non unius Europæ, sed Orbis pro-
pemodum universi referatur; Et quamvis pro
incolarum copia, quos ultra 600000. comple-
ctitur, pauca fortassis videri domus possint—
(nam non nisi mille ducentas triginta & tres,
ex quibus Civicæ 930. Liberæ 248. Monasteria
18. Tempa 29. Sacella non annexa 8.) continet,
tantæ tamen sunt magnitudinis, ut plures etiam
familie eandem incolere commodè valeant,
& inhabitare. Nam quot spectantur ædes va-
stissimæ, quas aulas nominant, quot diversoria,
quot ingentia Principum, & Dominorum Pala-
tia, quorum singula suo in districtu minores
aliorum locorum civitates aut æquare, aut su-
perare posse videantur: finem dictioni non fa-
cerem, si recenserem singulas, possem autem
omnes, easque secundùm meritum suum dilau-

darem, unde ut brevitati & consuetæ scriben-
di rationi morem geram, aliquas, easque pau-
cissimas, quæ cæteris aut mole, aut pulchritudi-
ne, aut magnificentia anteferri possint, placuit
enumerare.

Et ut ab Augustissimarum Majestatum Re-
gia initium faciamus, sita est hæc ad portam ab
Aula dictam, solem Occidentalem versus; spe-
ciali fossâ, propugnaculis, & custodia defensa,
opus & magnitudine & venustate insigne, tres
in se continens distinctas Aulas, quarum unam
Augustissimus Imperator, Augustus alteram,
tertiam Serenissimus Archidux, cum numerosa
Ministrorum suorum manu incolit, ædificium
formâ quadratâ erectum, amplum includit—
atrium, quatuor portis, tam pompæ, quàm si
necessitas cogeret, militum aliquot millibus op-
portunum, contignationes in altum numerat
ternas, quarum medias occupant coronati ver-
tices, reliquæ illis in usum, qui ab obsequiis pen-
dent Principum, reservantur.

Quorundam Dominorum Palatia Ordine Alphabetico.

PRÆTER præfatam Regiam alia reperiantur
Principum, & Dominorum domicilia opere
suo & arte celeberrima, de quorum numero de-
libare potiùs, aut recensere aliqua, quàm descri-
bere sulsus brevitati studentes statumus, neque
illis ista præferre, aut hæc præ aliis negligere
nobis mens fuit, sed quemadmodum vel suspe-
ximus

ximus ipsi, vel ab aliis accepimus quædam non singula commemorare, fatius nos facturos judicantes, si ad ocularem horum experientiam benevolum Lectorem invitemus.

A Principum aulis ordimur, quas inter recensendæ veniunt (præter domum Provincialem) in qua Austriæ Status de Provinciæ negotiis tractaturi conveniunt, sumptibus & structurâ insignem, Equitum item Ordinis Teutonici in platea vulgò *Singerstrassen*, & Ordinis Melitensium ibidem) Principis de Boquoi, utriusque Principis Gundacari, & Leopoldi de Dietrichstein, quorum primi ad pulchrum fontem, secundi in Dominorum platea est sita. Principis & Hungariæ Palatini ab Esterhasi, Principum Adami de Liechtenstein in platea Dominorum, & alterius Adami de Liechtenstein penes domum Provincialem, ac tertii Hartmanni de Liechtenstein in foro Rusticano. Principis de Monsfeld in alto ponte. Principis Montecuculi post domum Provincialem. Principis de Porcia in platea Dominorum. Ducis Saxonie nunc Episcopi Jaurinensis in alto Ponte. Eugenii Ducis Sabaudie ad Portam cœli. Principis de Schwarzenberg in foro novo. Celsissimi Principis ac Episcopi Viennensis, ex Comitibus de Harrach penes S. Stephanum. Quæ singulæ vel à magnificentia, vel à statuis, picturis, & Architecturâ celebres Civitatem Illustram reddunt & exornant.

Neque minus adferunt Urbi ornamentum Palatia plurima Excellentissimorum, & Illustrissimorum DD. Comitum per varias Vienna partes, fora, & plateas dispersa; D. Com. Bücellenii aulæ Cancellarii in novo foro. Comitibus Budiani in S. Dorotheæ. Capraræ in platea à pulchro fonte nuncupata. Carassæ in aula Scotensi. Colaldo in foro ad aulam dicto. Colredo in Weichport: Corbelli in S. Joannis: DD. Comitum Philippi de Dietrichstein penes PP. Augustinianos. Fünffkirchen in platea inferiori Pistorum. Ab Harrach penes Monasterium Scotense. D. Com. ab Hamelthon ad mœnia in *Einsalt Strassen*. Comitum de Hojos non procul ab hujus ad mœnia protensa. D. Com. de Jörger in platea simplici vulgò *Einsalt Straß*. D. Com. de Kauniz infra domum Provincialem. D. Com. Kinski in Cœmeterio S. Petri. D. Com. de Lamberg in *Walnerstrass*. Com. de Martiniz in foro Carbonario: D. Com. de Molart in Dominorum platea: Gen. de Obizi penes PP. Augustinianos: Gen. de Palfi non procul à domo Provinciæ. D. Com. de Rabbata in platea *Wohlzeil* nuncupata: Com. de Rosenberg in Dominorum platea: D. Com. de Rottal in Cantatorum platea: D. Com. à Sallaburg in S. Joannis. D. Com. de Sinzendorff penes domum Provincialem. Com. Stärenberg non procul ab eadem. D. Com. de Stratmon ibidem. Com. Strozi non procul à præfatis. D. Com. Tschernini in alto ponte. Com. de Traun in Dominorum platea. D. Com. de Trautmanstorff in eadem. D. Com. Trautson in platea Dominorum, & alterius D. Com.

de Trautson in platea Breineriana. D. Com. de Völkerer. Com. de Weissenwolff. D. Com. de Wallenstein è regione Monasterii Scotensis, D. Com. de Windischgraz penes PP. Minoritas, & aliorum quàm plurimorum, quæ referre omnia nihil foret aliud, quàm volumen implere domibus, & in infinitum excurrere referendo; quamobrem privatas aliorum Dominorum silens prætereo ædes nobilissimas, quarum Viennensis Urbs tot continet ad suæ propè invidiam, quot domus universim, ac proinde eas nunc solum præferemus, quæ linguâ nostrâ ob magnitudinem suam, & vastitatem aulæ nativo sermone *höff* appellantur postea, de publicis & ad commoditatem omnem instructis diversoribus dicturi, sunt autem aulæ hujusmodi per urbem celebriores viginti.

Aula Episcopalis penes S. Stephanum, Passaviensis ad gradus B. V.: Claustro-Neoburgica è regione armamentarii Cæsarei, aula ad S. Dorotheam, Gundeliana penes *Brandstatt*, Gammingeriana, aula S. Crucis non procul à Templo Collegii Soc. Jesu. Ducumburgensis in platea S. Annæ, Celleriana vulgò *Cöllnerhoff* in superiori Pistorum, Campililiensis in platea Weichburgensi: S. Margarethæ in foro veteri Rusticorum: Madlsbergensis: Melicensis penes Monasterium Scotense, Mariæ Cellensis, in S. Joannis platea: Neomontana in platea Scholastica. Ratisbonensis in platea Pistorum: Scotensis in ipso Monasterio. Seizeriana ad portam Pallerianam, Styrensis in Carinthiaca platea, Zwetlensis penes B. V. ad gradus, Zwölfferiana in foro antiquo lanionum. Quæ omnes à mole, vastitate, incolis, & decore clarissimæ superbis aliarum urbium aulis, & domiciliis in comparisonem venire posse, eaque aut superare, aut æquare non ambigimus.

Succedunt his ordine & dignitate suâ copiosissima diversoria, & hospitia publica, tam civibus quàm exteris & è locis distitis adventantibus peropportuna, in quibus quidquid vel ad necessitatem, vel ad commoditatem exigitur, dato ad id pretio comparatur.

Ad aquilam nigram, ad aquilam flavam penes turrin rubram, ad aquilam auream in novo foro, ad anatem auream, ad arborem viridem penes Cancellariam Imperialem, ad arborem viridem ubi lupus anseribus prædicat, ad Angelum aureum, ad anserem aureum è regione rubræ turris, ad agnellum aureum in alto ponte, item ad agnellum aureum in platea Clavigerorum, ad anguem aureum vulgò *Stindlwirth* / ad bovem album in foro veteri vulgò *Gleischmarch*, ad botrum aureum in foro ab aula dicto, ad crucem auream penes rubram turrin. Ad 3. coronas aureas ibidem. Ad Crates non procul ab armamentario navali. Ad cygnum in Carinthiaca, ad Cetum in *der Kruggerstrassen* / ad cervum aureum penes rubram turrin in aula Dempfingeriana, in aula Doctoris Lozen, ad Elephantem nigrum è regione rubræ turris, in aula à piscibus vulgò *Fischhoff* dicta

dicta, ad gryphem aureum in Carinthiaca. Ad Gallum album in fossa profunda, ad globum aureum in foro aulae. Ad Hircum coeruleum penes portam Stubensem, ad Euclionem alias *Rüssen-Pfenning* ad rubram turrim. Ad tres lepores in Carinthiaca, ad Leonem aureum ibidem, ad Leonem album in *Salzgriess* / ad lupum Candidum in foro veteri vulgò *Gleischmarck* / in aula Matschakeriana. Ad pavonem aureum in Carinthiaca, ad portam nigram penes domum Provinciale, ad pomum aureum in platea angulus porcorum dicta, ad rosam albam in platea pistorum, ad rosam auream in S. Joannis, ad stivam auream in platea Clavigerorum, ad solem aureum è regione rubrae turris, ad stellam albam penes 7. libros, ad tres secures penes Monasterium Scotense, ad Satyrum in Carinthiaca. Ad SS. Trinitatem in platea Judæorum. Ad ursum aureum in foro lanionum veteri. Ad ursum nigrum *auff dem Ludweg* / ad venatorum cornu aureum penes Sanctam Dorotheam. Sunt quidem plura adhuc Viennæ diversoria, quia tamen præfatis & commoditate & celebritate non paria, hic illis

enumerandis superfedemus. Et quoniam de domibus illis, in quibus sanis alioquin, & bene valentibus prospicimus corporibus, differimus, restat, ut & illas recensamus, in quibus ægroti refocillentur, aut restituantur, quem in finem varia per Urbem necessariis omnibus promorborum diversitate instructa, erecta sunt pharmacopœia, seu Apothecæ, & quidem præter illas, quas suis in Collegiis, aut Monasteriis Religiosi, propriis in domibus Domini alii in usum proprium conservant, aut in aliorum commodum instituerunt, præcipuè magis, & notæ numerantur sequentes.

Ad nigram aquilam penes aulam Imperatoris. Ad Angelum album non procul à porta Palleriana. Ad Æthiopem è regione domus Justitiæ, quam Schronam nuncupant. Ad cancerum rubeum in foro alto. Ad Coronam auream in fossa. Ad cervum aureum ibidem. Ad Ciconiam candidam in Cœmeterio S. Petri. Ad Gryphem aureum è regione Aulae Episcopalis. Ad Leonem aureum è regione S. Stephani. Ad S. Spiritum in Hospitali Civico. Ad Tygridem in Carinthiaca. Ad Ursum nigrum in *Lubweg*.

TITULUS V.

Urbis Plateæ, & quæ in iis spectanda.

Triumphabat olim vetus Roma, quod tot, & tanta complexa sit suo in gremio fora, & compita, tot vias, ac plateas, per quas victrices de hostibus Duces magnificè pompâ inveheret, & gloriosas aquilas lætitudinis Quiritibus ostentaret: quam gloriam ne soli concederet Vienna Romæ, amplas & ipsa per Urbem plateas, ampla adornavit compita, eaque quasi semper triumphatrix raro spectaculo ardentibus per noctem Lichnis instruxit, ut tot in iis arderent accensæ Lampades, quot cœlum sydera exornarent, ut vel in hoc Romano fastui excitaret invidiam, & quod Urbi illi festivum erat, huic fieret quotidianum. Dividitur autem Urbs in partes quatuor, quæ potissimum à præcipuis Viennensis Civitatis portis suum sunt nomen sortitæ, in his plateæ numerantur plurimæ, fora tam majora, quàm minora non pauca, quæ pleraque à rebus inibi venalibus, situ, novitate, aut domo quapiam sunt appellata: partibus singulis, singuli præstant præfecti, quorum officium est, hostiles impetus, incendia, aliæque incommoda avertere, & partium suarum commodum, & utilitatem promovere, quam ob causam Centuriones sibi habent adjunctos, qui per milites suos noctibus, æquè ac diebus servant vigilias, lustrent plateas, lites omnes, & rixas componant, ex quibus tantum, quem videmus ordinem, & optimam Urbis compositionem oriri est necesse. Ut autem quod titulo isto promittimus exequamur par-

tes singulas, in quas Urbs tota divisa est, ordine debito perstringemus.

Pars prima à porta sibi cognomine Stubensis dicitur, ac plateas continet, ordine, quo referimus, sequentes: à rubra turri ad domum Pragensem, quam salinariae rei Præfectus incolit, catorum est semita, hinc ad forum altum Judæorum Plateola à copia habitantium olim inibi Hebræorum dicta extenditur, à foro alto ad lanionum officinas via lucida *Lichtensteg* / sequitur hanc coquorum usque ad crucem auream. Mercatorum usque ad cellarium à mulso nuncupatum, è regione Lanionum, in *Lubweg* locus dicitur, ubi equi conducticii reperiuntur, hinc descendendo ad anserem aureum forum lini à venali lino dictum ingredi-mur, post quod suo ordine venit platea *auff den Steig* vocata, quæ ad rubram turrim excurrit, *Wollzeil* ad domum mercatoriam quam ab acri angulo *zum Scharffen Eck* nominant, extenditur, quam Stubensis excipit, Pistorum anterior dicitur ea, in qua domus ab olente verme visitur, inferior verò, quæ ad Collegium PP. Societ. protenditur, ad S. Crucem parva, & angusta plateola est, quæ ab hac ipsa aula nomen suum desumpsit: excipit hanc ab albo bove platea major, forum verus Lanionum appellatum, ex parte altera, à domo quadam Civitatis in præfato foro posita ad nigram aquilam usque protrahitur platea, quæ vulgò porcorum angulus (*Sau-Winkel* dicitur) Sanctæ Bar-
baræ